



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Antidota Evangelica contra horum temporum hæreses**

**Stapleton, Thomas**

**Antverpiae, 1595**

In Lvcaë Cap. 8.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39546**

humili agnitione debitorum suorum, multaque propterea dilectione, peccatorum remissionem consecutam fuisse.

## IN LVCAE CAP. 8.

50. *Noli timere, tantum crede, & salva erit.*

**A** BVT VNTVR hoc loco hæretici vt solam fidem à Christo exigì doceant ad salutem consequendam. *Excluduntur bis verbis* (ait Flaccus Illyricus contra Iudocum Tiletanum in Apologia cap. 6. pag. 157.) *omnes alie huius Archisynagoga cogitationes ac sollicitudines, & iubetur in sua precatone fidem constantem habere, quia fides sola suppliciter à Deo misericordiam implorens, omnia bona ab eo impetrat.* Respondet huic hæretico D. Tiletanus, ex P. 210. b. *ipsis hæretici verbis constare præter fidem, supplicem quoque & constantem orationem necessariam fuisse: ex quo statim conficitur, non solam fidem iustificare. Rectè hoc quidè, sed paulo plenius mox. Docemur hoc loco, ait Calvinus, non posse nos modum credendo excedere: quia nunquam centesimam diuinae bonitatis partem fides nostra quantumuis ampla capiet.* Hæc ille, vt doceat homines quantumcunque impios ex sola fide & apprehensione misericordiae diuinæ, absque vlla aut pœnitentiâ aut bonorum operum necessitate tum remissionem peccatorum tum vitam æternam consequi posse. Sed vtrique hæretico & alijs omnibus hoc loco pro sola saluante fide abutentibus, breuiter & efficaciter responderi potest: Si hic locus solam fidem iustificantem ac saluantem probaret, sequeretur non so-

Sola fides  
non statuitur.

lūm quòd ex sua sola fide vnusquisque saluaretur, sed etiam quòd ex mea fide de alterius salute alter quoque saluaretur. Hic enim ex fide patris filia mortua resuscitatur & salua facta est. Si ergo ex sola fide patris saluata est filia, & hoc exemplo sola fides ad omnia à Deo impetranda valere debet; sequetur quòd sola fides non credenti tantū, sed & omnibus pro quibus credere velit, salutem impetret. At qui nec ipsi heretici hoc dicere audent. Nihil ergo hic locus pro fide iustificante facit. Deinde non docet hic locus ex sola fide hoc beneficium impetratum fuisse: sed quū prius hic Archisynagoga & humilitatē multā ostendisset (*procidit enim ad pedes Iesu*) & oratione ardenti vsus fuisset (nam *deprecabatur eum multum*, ait Marc. cap. 5.) nunc autem audita morte filiae dubitare cœpisset, hortatur eum Christus ad solam fidem, quia illa sola labefactari cœpit; non quia propter illam solam beneficium, quod petijt, collaturus esset, sed quia sine firma fide collaturus non esset.

### IN LVCÆ CAP. 9.

7. *Eo quòd diceretur à quibusdam, quia Ioannes surrexit à mortuis, &c.*

**P**ROPTER has populi Iudaici varias dubitationes de Christo, & quia Matth. 14. Herodes existimabat Christum esse Ioan. Baptistā à mortuis resurgentē, & quia Matth. 16. alij Christum esse Ieremiā aut aliū Prophetam existimarunt, & deniq; quia Ioan. 1. Pharisei interrogant Ioan. Baptistam an esset Elias, Calu-  
nus